

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

## **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput CXII. Continens Historiam Satanae Mulieris Contractae In Sabbato,  
Et Defensionem Illius Facti Contra Archisynagogum. Luc. 13. v. 10.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

improbiorum hominum, qui ex incurabili malitia peccant, patronus esse vult: quin potius sic cum talibus agit, ut tandem proprio ore, se damnationem probe commeritos esse confiteri cogantur.

Docet hæc parabola. 1. Dei erga nos peccatores longanimum expectationem & desiderium salutis nostræ, ut qui pietatis opera à nobis requirat tanquam fructum aliquem, ex quo tamen ad ipsum Deum minus accedit utilitatis, quam ad nos ipsos. 2. Christi intercessione fieri, quod non illico puniuntur, qui sceleribus suis id merentur. Hoc ut consolationem nobis addit: ita etiam ad gratiarum actionem erga hunc intercessorem excitare debet: atque insuper nos cohibere, ne de cuiusquã salute temere desperemus, cum Christi intercessione etiam in ultima mortis hora quis converti possit. 3. Deum Patrem non velle perpetuo parcere sterilibus arboribus in sua vinea. Sive enim hypocritæ sint, sive palam impie vivant, qui Ecclesiæ loca inutiliter occupant: tamen si suo exemplo aliis noceant; aut sua prophanitate religionem in contemptum adducant, iustum Dei iudicium non effugient. 4. Verbi ministros & animarum pastores decere, ut ad imitationem Christi consimili studio & cura auditores suos ad ferendos Deo bonorum operum fructus adducant; nimirum sacrosancto verbo plantent & rigent, peccatorum fœditatem ipsis ob oculos ponant, pro ipsis orent, ut sic eos iræ Dei subtrahant, & ad æternam salutem promoveant.

Cæterum quibus & quomodo hæc parabola apte commendari possit, per se quoque satis apertum est. Siquidem eam & publice integris populis & privatim singulis hominibus applicare licet. Et quidem primum Judæos intrugiferam hanc ficum fuisse, nimis vere dicitur. Hæc enim fuit vinea, quam Dominus de Ægypto transtulit in terram Chanaan, eiecit Gentes & plantavit illam. Psal. 80. v. 9. Hanc vineam visitavit Deus *tribus annis*: per quos annos intelligere possumus, vel triplicem illam gubernationem, quæ in isto populo à Deo fuit instituta. Quarum prima fuit iudicium, altera Regum, ante transmigrationem in Babylonem: tertia Pontificum post reditum ex Babylone. Vel triplicem illam visitationem, qua Deus populum hunc invisit, & ad ferendos fructus excitavit: primo promulgatione legis per

Mosen, qua Deus ipsis præscripsit opera, quibus ipsi gratos fructus in Ecclesia, in Politia & œconomia asserere possent. Deinde cum sacerdotes in custodienda lege negligentibus essent, extraordinarie excitavit Prophetas, qui divino zelo tam sacerdotes ipsos, quam populum officii sui admonuerunt. Denique misit unigenitum filium suum, qui cum continuis sermonibus, tum stupendis miraculis univèrsam gentem ad veram pietatem extimulavit. Quin & per *tres annos* illos non inepte intelligere possumus triennium illud, quod Christus jam insumerat, quo per omnem terram pertransierat docendo, benefaciendo, & sanando omnes à Diabolo oppressos. Act. 10. v. 38. Et tamen in his visitationibus omnibus Deus expectatione sua fuit frustratus. Licet enim aliqui fuerint inventi, qui se Deo probarunt: plurimorum tamen malorum impietas paucorum probitatem sic obfuscavit, ut hi respectu illorum quasi in nullum censum venerint.

Si vero quis gentibus, aut certo alicui populo hanc parabolam accommodare velit; tum *tres* illos divinæ visitationis *annos* potest interpretari. 1. legem naturæ. 2. legem Moysi scriptam. 3. prædicationem Evangelii, quæ omnia Deus in eum finem gentibus etiam communicavit, ut eorum adminiculo ad verum Dei cultum & omnia pietatis officia instituerentur. Vel potest quis attendere speciales Dei visitationes in aliqua gente sive urbe, quibus Deus aliquos eripuit ex gentilismo, alios ex tenebris Papatus, vel ex crassis erroribus, & dedit purioris doctrinæ lucem, in qua si homines vitam & mores suos non emendant, sibi ipsis extremum exitum non minus attrahent, quam Judæi sibi attraxerunt.

Si denique ad singulas personas privatim hanc parabolam quis transferre velit: Attendat & indicet, quomodo Deus per omnem vitam, primum in pueritia, deinde in juventute, tertio in virili ætate, apud quosdam etiam in ultima senectâ post multiplicem culturam à parentibus, à præceptoribus, à verbi ministris impensam, apud ipsos fructus pietatis quæsierit, nec tamen invenerit. Si ergo intrugiferi esse perrexerint, & tales mors deprehendet, actum fore de ipsis, quia tum excindendi & in ignem infernalem abijcendi sint.

## C A P U T CXII.

CONTINENS HISTORIAM SATANÆ MULIERIS CONTRACTÆ IN SABBATO, ET DEFENSIONEM ILLIUS FACTI CONTRA ARCHISYNAGOGUM. LUC. 13. v. 10.

### R A T I O O R D I N I S.

**H**ÆC historia ut recto, ita etiam comodo ordine ad priorem sequitur. Egit in præcedenti Christus de ficu sterili, quæ lata quidem folia ostentaret: fructus autem raros vel etiam nullos pro-

ferret. Qua de causa circum illam fodere & sterco mittere, sicque ipsam ad ferendos fructus provocare velle. Jam ergo vineam Domini, synagogam Judaicam, ingreditur, docendo arbores intrugiferas rigat, & in Archisynagogo exemplum sterilitatis illius

illius ficus proponit. Ut enim tota synagoga Ce- remoniarum Moisaicarum ornatu quidem sese ostentavit, bonorum autem operum fructum nunquam praestitit. Ita etiam hic hypocrita inanem pietatis & titulorum ostentationem praese tulit: vera autem pietatis virtute totus caruit. Unde et-

iam, ceu hypocrita, iusta reprehensione excipitur. In muliercula autem, quae virtute verbi & tactu Christi restituitur, monstratur, unde nobis virtus illa obtingat, quae nos ad bona opera fecundos & idoneos facit. Utrumque itaque exemplum singulari diligentia est attendendum.

CURATIO FOEMINAE INCURVAE IN SABBATO.

LUC. 13.

- 10. Ἦν δὲ διδάσκων ἐν μιᾷ τῶν συναγωγῶν ἐν τοῖς σαββάτοι.
- 11. Καὶ ἰδὲ, γυνὴ ἦν πνεύμα ἔχουσα ἀσθενείας ἔτη δέκα καὶ οὐκ αὐτῆς, καὶ ἦν συνηκρωμένη, καὶ μὴ δυναμένη ἀνακύβηαι εἰς τὸ πρῶτον.
- 12. Ἰδὼν δὲ αὐτὴν ὁ Ἰησοῦς, προσεφώνησε, καὶ ἔπεν αὐτῇ, γύναι, ἀπαλεύσασαι ἀπὸ τῆς ἀσθενείας σου.
- 13. Καὶ ἐπέθηκεν αὐτῇ τὰς χεῖρας, καὶ παρακλήμα ἀνωρθώθη, καὶ ἐδόξαζε τὸν Θεόν.
- 14. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ ἀρχισυναγωγῶν, ἀγανακτῶν, ὅτι τῷ σαββάτῳ ἔθεραπευεν ὁ Ἰησοῦς, ἔλεγε τῷ ὄχλῳ ἡμέραι εἰσὶν, ἐν αἷς δεῖ ἐργάζεσθαι, ἐν ταύταις δὲ ἐργάζομενοι θεραπεύετε, καὶ μὴ τῇ ἡμέρᾳ τῆς σαββάτου.
- 15. Ἀπεκρίθη ὁ κύριος καὶ ἔπεν, ὅτι καὶ ἡμεῖς ἔχουμεν τὸν σαββάτον, καὶ ἡμεῖς οὐκ ἔχουμεν τὸν σαββάτον, καὶ ἡμεῖς οὐκ ἔχουμεν τὸν σαββάτον, καὶ ἡμεῖς οὐκ ἔχουμεν τὸν σαββάτον;
- 16. Ταύτην δὲ θυγατέρα Ἀβραάμ ἴσταν, ἣ ἔδωκεν ὁ σατανᾶς ἰδοὺ δέκα καὶ ὀκτὼ ἔτη, καὶ ἰδοὺ λυθῆναι ἀπὸ τῆς δεσμῶν τῆς τῆς ἡμέρας τῆς σαββάτου;
- 17. Καὶ ταῦτα λέγοντες αὐτῇ, κατησχύνοντο πάντες οἱ ἀντικείμενοι αὐτῇ, καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἔχαιρεν ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἐνδόξοις τοῖς γινομένοις ἐν αὐτῇ.
- 18. Ἐλεγε δὲ, τίμη ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, καὶ τίμη ὁμοίωσιν αὐτῇ; ὁμοία ἐστὶ κόκκῳ σινάπιδος, ἐν λαβῶν ἀνθρώπου, ἔβαλεν εἰς κήπον ἑαυτοῦ.
- 19. Καὶ ἤρξε, καὶ ἐγένετο εἰς δένδρον μέγα, καὶ τὰ πετρεῖνα τῆς κρήνης κατεσκύνωνεν ἐν τοῖς κλάδοις αὐτοῦ.
- 20. Καὶ πάλιν ἔπεν, τίμη ὁμοίωσιν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ;
- 21. Ὅμοία ἐστὶ ζύμῃ, ἣν λαβῶσα γυνὴ ἐνέκρυψεν εἰς αἰλεύρας ἀτά τρία, ἕως ἔζημύθη ὅλον.

- 10. Docebat autem in una synagogarum sabbatis.
- 11. Et ecce mulier erat, quae habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, eratq; contracta, nec omnino poterat erigere caput.
- 12. Quam cum videret Iesus, vocavit eam ad se, & dixit illi: mulier, liberata es ab infirmitate tua.
- 13. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est; & glorificabat Deum.
- 14. Respondens autem princeps synagoga, indignans, quod sabbato sanasset Iesus, dicebat turbae: Sex dies sunt, in quibus oportet operari, in his ergo venite ut sanemini, & non in die sabbati.
- 15. Respondens autem ad illum Dominus, & dixit, hypocrita, unusquisq; vestrum sabbato nonne solvit bovem suum aut asinum a praesepe, & ducit aquatum?
- 16. Hanc autem filiam Abraam quam alligavit satanas ecce decem & octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati?
- 17. Et cum haec diceret erubescerant omnes adversarii ejus. Et omnis populus gaudebat super universis, quae cum gloria fiebant ab eo.
- 18. Dicebat ergo, cui simile est regnum Dei, & cui simile faciam illud? simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum.
- 19. Et crevit & evasit in arborem magnam, & volucres caeli nidulabantur in ramis ejus.
- 20. Et iterum dixit: cui simile faciam regnum Dei?
- 21. Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinae saca tria, donec fermentetur totum.

Pericope hujus Historiae.

PRaeedentem concionem de poenitentia Christi habuit in die aliquo profesto cum populus ad ipsum congregatus fuisset. Nunc autem docet in synagoga in sabbatis, sive sabbato. Nam de Judaici sabbati die, qua Judaei servilibus operibus vacantes, ad audiendam Dei legem conveniebant, hoc intelligendum esse, sequens disputatio evincit. Quid autem docuerit, à Luca hoc loco non indicatur. Sed absque dubio eandem de poenitentia doctrinam repetit & urfit. Hac de causa Pontifici de doctrina interroganti Joh. 18. vers. 20. respondit: se non in occulto locutum esse, sed in synagogis & templo, ubi omnes Judaei convenirent, docuisse. Quapropter ex auditoribus doctrinae suae summam & argumentum repetendum esse.

Quia vero Christus non tantum folia verborum, ut synagoga, sed etiam fructum charitatis habuit: Ideo non tantum verbis, sed etiam opere ipso docuit, quod ad salutem hominibus incurabili infirmitate laborantibus conferendam in hunc mundum venisset. Nam ecce dum doceret, aderat mulier, quae habebat πνεύμα ἀσθενείας Spiritum infirmitatis. Hoc est, laborabat illa foemina morbo non naturali, sed qui ex Diaboli malitia & potentia, vel per incantationem, vel per fascinum aliquod ipsi obvenerat. Ac proinde nulla medicorum opera (Hi enim tantum naturales morbos per naturalia media curant) sed solius illius virtute pelli poterat, qui etiam spirituales nequitias habet in sua potestate. Fuit autem mulier illa contracta, ut caput erigere & sur-

& sursum respicere *omnino non potuerit*. Quæ miseria tanto major fuit, quod non paucis diebus duravit hoc malum, sed *annis decem & octo* integris. Erat revera hoc miserum spectaculum, hominem, cui Deus os sublime dedit, cœlumque tueri iussit, & erectos ad sidera tollere vultus, sicque hac staturæ rectitudine ipsum à brutis secevit, videre pecudum more, vultu terram versus directo incedere, vel reptare potius, nec posse cœlum, ad quod tamen possidendum creatus erat, intueri. Sic nimirum Diabolus odium suum, quod tum adversus Deum, tum adversus homines flagrat, re ipsa commonstrare voluit, quod nimirum hoc unicum agere studeat, ut homines à Deo aversos, ex conditionis suæ rectitudine & nobilitate dejiciat, insipientibus jumentis similes efficiat, sicque permoveat, ut, terram tantum septent, terrena quærant.

Gerit itaque hæc fœmina typum totius humani generis, qui monstrat, qualis jam sit hominis conditio post tristem primorum parentum lapsum. Creaverat Deus hominem ad suam imaginem & similitudinem. Gen. 1. v. 26. in rectitudine cordis, in iustitia & sanctitate veritatis Eph. 4. v. 24. Unde recte sursum ferebatur amore & desiderio, versus creatorem & summum suum benefactorem, & scopum versus ad brabeum supernæ vocationis Dei, ad quem & creatus erat. Phil. 3. v. 14. Sed invidia Diaboli peccatum & mors introivere in orbem terrarum, Sap. 2. v. 24. quemadmodum copiose illud describitur, Gen. 3. v. 1. Hac aversione à Deo factum est, ut Adamus ex pristina sua dignitate, excidens nō amplius cœlestia, sed terrena sapuerit & appetierit. Post peccatum fugit Deum, factus est ejus inimicus, contemptor cœlestium, amator rerum terrenarum. Et qualis factus primus pater, tales etiam omnes ejus posterii. Genuit enim Adam filium, non ad imaginem Dei, ad quam ipse creatus fuerat; sed ad imaginem & similitudinem suam Gen. 5. v. 3. Per unum itaque hominem intravit peccatum in hunc mundum & per peccatum mors, atque ita mors in omnes homines pertranstulit in quo omnes peccaverunt. Hanc naturalem nostri depravationem singuli agnoscamus: ferius gemitibus deploramus: nos in peccatis conceptos & natos Psal. 51. v. 7. adeoque natura filios iræ esse confiteamur Eph. 2. v. 3. Unde enim olim tam tetra abominationes idolomania & superstitionum tam apud Judæos quam apud Gentes? Unde tam nefanda & horrenda illa peccata atque scelera, qualia Apostolus Paulus ad Rom. 1. v. 29. recenset? Nisi quia natura ambulamus in vanitate sensus nostri, tenebris obscuratum habentes intellectum, & alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ in nobis est, propter cœcitatē cordis: & postquam aliqui dedoluerunt, tum semetipsos tradunt protervia, ad operationes omnis immunditiæ. Eph. 4. v. 18. Breviter: animus hominis initio à Deo ad cœlestia creatus & formatus, sed postea satanæ astu & malitia seductus & ad terrena præcipitatus, jam magis delectatur, instar porci, in luto peccatorum & scelerum sese volutare, quam quæ sursum sunt quærere & sapere. Col. 3. v. 1. Nam totum *vôynna* & sapientia carnis, inimicitia est in Deum, & legi Dei non subicitur, & ne potest quidem. Rom. 8. v. 7. *um morua ju d*

-1113

Cum ergo tam misera sit humanæ naturæ conditio, ejusque infirmitas tanta, ut propriis liberis sui arbitrii viribus seipsum erigere nequeat. Ex nobis ipsis enim tanquam ex nobis ipsis non sumus idonei cogitare aliquid, nedum perficere. 2. Cor. 3. v. 5. Ubi ergo medicina & salus quærenda? Id ostendit altera hujus historia pars. Christus enim Jesus Dei & Mariæ filius, qui misera huic fœminæ suppetias tulit, sua quoque potentia nostra infirmitati medetur, satanæque malitiam à nobis depellit. Sed quo ordine id fecerit, opera precium est attendere. 1. Dum in synagoga arduo illo & summe necessario docendi munere fungitur, quod tanta intentione & animi fervore ipsum administrasse, Evangelistæ alibi testantur, ut nec à matre nec fratribus in eo se turbari passus fuerit. Matth. 12. v. 46. Marc. 3. v. 32. Hic autem inter docendum *vidit* miseram hanc in curvam mulierculam. Vidit quidem etiam reliquos ad audiendam ipsius doctrinam in synagoga congregatos. Hanc vero singulari commiserationis affectu vidit. Christi enim aspectus semper felix subsecutæ salutis omen est. Ideoq; 2. hanc, postquam docere desierat, *ad se vocavit*. Potuisset sane eam quoque curare, si maxime ad ipsum non appropinquasset. Sed voluit miraculum hoc esse conspicuum, idque in Dei honorem & populi ædificationem. *Vocavit autem eam* neq; ab aliis neq; à fœmina ipsa rogatus: quia in Christo Jesu habemus gratuitum benefactorem. 3. Postquam ergo fœmina ad ipsum perreptasset, dixit illi: *mulier liberata es ab infirmitate tua*. *Liberatam* pronunciat: Liter id nondum nec coram populo compareret, nec ipsa in corpore suo sentiret. Sed sic loquitur, quia in verbo ipsius promissionis omnia possidemus, ultra quam petimus aut intelligimus. Verbum enim ipsius est verbum potentia, & verbum illius, qui tam morbos, quam sanitates, tam mortem quam vitam in sua manu habet. Iccirco pro imperio loquitur, & quodcumque verbis prædicat, illud mox etiam opere complet. Quia rectum est verbum Domini, & omnia opera ejus in veritate. Psal. 33. v. 4. Ideo additur, 4. *& imposuit illi manus, & confestim erecta est*. Potuisset etiam sine contactu nudo verbo sanare, sed non tantum ad ostendendam charitatis & benevolentia certitudinem eam contingere dignatur: verum etiam ut innueret vivificam suam carnem esse ordinarium illud instrumentum, per quod salvifica suæ gratia nos participes faciat. Ipse enim Dei filius est fons gratia, ex cujus plenitudine nos omnes accipimus gratiam pro gratia Joh. 1. v. 16. Ipsa vero caro in unitatem filii Dei assumpta est canalus, per quam gratia illa ad nos profluit.

In his omnibus adumbratur nobis modus & ordo quem Deus observat, ut nos à corruptione & infirmitate nostra liberet, atque ad beatam salutem reducat. 1. Fons & origo salutis nostræ est, plus quam paternus ille Dei affectus, quo nos miseros mortales, per peccatum in extremam miseriam & æternam damnationem prolapsos, ex alto non despicit, sed respicit, & per filium, in quo nos elegit ante mundi constitutionem Eph. 1. v. 4. nobis optatam salutem afferre decrevit. Sic Deus dilexit mundum &c. Johan. 3. vers. 16. Is proprio filio non pepercit, sed eum pro nobis tradidit

tradidit Rom. 8. v. 32. Et ut in genere totum genus humanum in filio clementibus oculis intuitus est, sic etiam in specie singulos peccatores, quibus salus obtingit, paterno intuitu respicere solet. Sic vidit Adamum in paradiso post arbores latitantem, & promissionem Redemptoris dedit. Gen. 3. v. 8. Vidit Abrahamum in patria inter idololatrias agentem, & ad veri Dei agnitionem is vocatus est. Gen. 12. v. 1. Vidit Afflictionem Israelitarum in Aegypto: & liberati sunt. Exod. 3. v. 7. Vidit Davidem homicidam & adulterum secure peccatis suis indormientem, & in viam eum revocavit. 2. Sam. 12. v. 1. Vidit Jesus Nathanaelem sub ficu, & cognitione sui eum illustravit. Joh. 1. v. 48. Vidit Zacharum in sycomoro & salus domui ipsius facta est. Luc. 18. v. 5. Dominus conversus respexit & vidit Petrum atque poenitentiam lacrymas ipsi expressit. Luc. 22. v. 61. Itaque certo sciamus, omnium salutis nostrae, tam temporalis quam aeternae, initium esse paternum intuitum Dei. 2. Hunc primum gradum visionis sequitur alter, qui est *vocationis*. Nam quos praedestinavit, hos & vocavit Rom. 8. v. 30. Est enim bonus pastor, qui proprias oves vocat nominatim. Joh. 10. v. 3. Nos sponte nostra nunquam ad Christum accedimus. Nam quemadmodum inveteratus morbus, cui homines sunt assueti, medicum non curat, siquidem sanari desperat: Sic homo peccati inveteratus desiderium caeli non habet, qui potius peccatis, ceu gravi onere, pressus, tantum terram deorsum aspicit. Deus ergo eos, quibus salutem conferre constituit, per verbum ad se vocat. Non tantum generali vocatione, Esa. 55. v. 1. Omnes sitientes venite ad aquas, &c. Matth. 11. v. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis &c. Johan. 7. v. 37. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat: Sed etiam vocatione speciali. Sic vocavit ipse olim Adamum, Abrahamum, Moysen, & alios: hodie per verbi pracones vocat singulos peccatores, quando illi praedicant verbum, instant opportune, importune: arguunt, obsecrant, increpant in omni patientia & doctrina. 2. Tim. 4. v. 2. Et per hoc verbum vocationis vult efficax esse in cordibus auditorum: sicuti Lydiam purpurariam Dominus per Pauli praedicationem ad fidem & salutem adduxit. Act. 16. v. 14. Et hoc est quod Christus dixit Joh. 6. v. 44. Nemo potest ad me venire, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, & ego resuscitabo eum in novissimo die. Haec vero tractatio non fit externa vi, sed interna virtute Spiritus sancti, qui efficax est per verbum vocationis. 3. Porro animae, quae vocata ad Deum accedit, per verbum Christi dicit: *liberata es ab infirmitate tua*. In hac enim vita à peccatis nostris tam originali, quam actualibus aliter non liberamur, nec salutis participes aliter reddimur, nisi per verbum, cui tam certo fides habenda est, ac si ipsa salutem possideremus, licet in facto diversum sentiamus. Est enim Evangelium potentia Dei ad salutem omni credenti. Rom. 1. v. 16. Et fides substantia est rerum sperandarum, atque argumentum non apparentium, Hebr. 11. v. 1. Fides ergo habet & possidet in verbo quicquid nobis à Deo est promissum. Unde non tantum de Christo dicitur, quod habeat verba vitae aeternae, hoc est, verba, quae vitam aeternam conferunt, Joh. 6. v. 68. Sed etiam de Petro

dicitur, quod Cornelio locutus sit verba, in quibus ipse salvus sit futurus: & universa domus ejus Act. 10. v. 14. Et Paulus Timotheo scribit: Attende doctrinam, hoc faciens & te ipsum salvum facies & qui te audiunt. 1. Tim. 4. v. 16. Dum ergo sic per fidem ambulamus, tantisper verbo contenti sumus, donec aspectus & res ipsa subsequatur. 2. Cor. 5. v. 7. Neque enim hoc verbum nos fallat. Nam si principes hujus seculi verba, quibus gratiosam suam mentem erga ministros suos declarant, irrita esse nolunt: quanto magis filius Dei, rex regum, id, quod verbis pollicitus est, ratum habebit? Caelum & terra tranlibunt: verba autem Christi non transibunt. Luc. 21. v. 33. 4. Tandem non obliviscendum est *impositionis manus*. Per hanc enim adumbrat nobis conjunctio & communicatio nostri cum Christo: extra quam nobis salus non potest contingere. Etenim haec est vita aeterna, quae nobis annunciat, ut sit communio nostra cum Patre & filio ejus Jesu Christo. 1. Joh. 1. v. 3. Haec vero conjunctio Dei & nostri ut fieri posset, filius Dei humanam carnem in unitatem personae assumpsit, atque sic Immanuel noster, hoc est, nobiscum Deus factus est, atque in assumpta illa massa primum humanam infirmitatem sanavit, eamque in caelum subvectam ad dextram Dei in ipsum thronum divinae majestatis collocavit. Postea vero ut eadem infirmas in nobis quoque sanetur, necesse est, ut ipsi tanquam capiti nostro inseramur, membra corporis ipsius fiamus, atque sic caro de carne ejus, & ossa de ossibus ejus efficiamur. Eph. 5. v. 30. Hoc vero fit quando sacramentis Christi participamus. Tum enim vivifica sua carne nos contingit, sicque ab infirmitate nostra nos sanat. Primum quidem in baptismo, per quem non tantum in Ecclesiae societatem adoptamur, sed etiam Christum induimus, Gal. 3. vers. 27. imo in mortem Domini baptizamus, ut quemadmodum Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in novitate vitae ambulemus. Rom. 6. v. 4. Deinde vero quia saepius novitatem illam vitae peccatis & lapsibus contra legem Dei maculamur: ideo addita est sacra ipsius caena, in qua sub benedicto pane vivifici ipsius corporis, & sub consecrato vino salvifici ipsius sanguinis, qui nos ab omni peccato emundat, 1. Joh. 1. v. 7. participes reddimur. Ut sic nobis unitus ipse in nobis & nos in ipso unum simus cum Patre: hic quidem per vinculum unionis in fide, illic vero in aspectu per beatam cohabitationem. Ipse enim vult, ut illi, qui dati sunt ipsi à Patre, cum ipso sint: quo videant claritatem ipsius, quam dedit ipsi Pater, qui dilexit eum ante constitutionem mundi. Johan. 17. vers. 24. Hoc modo & hoc ordine hic nobis ob oculos ponitur ratio liberationis nostrae ab innata nostra infirmitate. Quod omne praestat unicus noster servator Christus Jesus, filius Dei, qui in hoc apparuit, ut dissolveret opera diaboli. 1. Joh. 3. vers. 8.

Duo haecenus audivimus ex historia hujus contractae mulieris. Unum fuit, de misera humanae naturae conditione: Alterum de ejusdem medela, quam praestat Jesus Christus: Addatur etiam tertium, in quo consideretur, qualem se haec foemina, tum ante, tum in, tum post restitutionem

nem

nem gesserit. 1. Ante restitutionem ingressa est synagogam, in qua à temporibus antiquis Moses (Act. 15. v. 21.) & Prophetarum conciones prælegebantur atque preces fiebant. Fuit igitur studiosa cultrix verbi divini & sacrorum cœtuum. Neque se inde absterreri passa est, licet & laboriosum, & suo quodam modo probrosum ipsi fuerit, in tam miserabili corporis forma in publicum prodire. Sic, quicumque à naturali sua infirmitate & depravatione liberari volunt, necesse est, ut & ipsi cum Davide diligent habitaculum domus Domini, & locum habitationis gloriæ ipsius. Psal. 26. v. 8. Cumque restitutio nostra in hac vita tantum sit inchoata, quæ demum in altera perficietur: Ideo rursus p̄ cum Davide dicant: unum petii à Domino, hoc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini, & mane visitem templum ejus. Psal. 27. v. 4. Quia una dies in atris domus Dei melior, quam mille dies in tabernaculis peccatorum. Ps. 84. v. 11. Et hoc membrum adeo necessarium est, ut si qui nolint domum Dei ingredi, ibique Dominum sibi loquentem audire, sed malint post sepes peccatorum stertere, & in viis iniquitatis delidere, illi sint compellendi ut intrent domum Domini, ibique sanitatem consequantur. Luc. 14. v. 23. 2. In ipsa restitutione mulier nihil quicquam agit vel operatur; sed tantum verbum audit, & medicam manum opem afferentem admittit, non repugnat, nec recalcitrat: dum tamen verbum audit, dum manus contactum admittit, *confestim creta est*, & terræ diu assuetos oculos in cœlum sustulit: sic in conversione hominis peccatoris ad Deum mens & voluntas hominis nihil agunt, nihil operantur, neq; gratiæ Dei cooperantur: sed habent se pure passive. Interim tamen Deus per verbum prædicatum & salutarem contactum sacramentorum hominem erigit, hoc est, ex nolente volentem, & ex repugnantem consentientem facit. Qui enim pertinaciter Spiritui sancto resistunt, & ex proposito ei repugnant, illi non convertuntur. Quamprimum vero hominis voluntas sic divina virtute & operatione est immutata & renovata, *ὡς ἄρρηκτα* *confestim* fit organum & instrumentum Spiritus sancti, & gratiam ejus non modo apprehendit, sed etiam in sequentibus operibus Spiritui sancto cooperatur. 3. Post restitutionem mulier *glorificabat Deum*, huicque beneficium illud omne transcribit. Non ergo cum Pharisæis blasphemavit Christum & opera ejus Beelzebub attribuit: sed grata mente agnoscit, dum Christus benefacit & sanat oppressos à diabolo, Deum esse cum illo. Act. 10. v. 38. Idem converli ad Deum, vel à naturali sua infirmitate liberati, facere debent. Cum enim Deum in omnibus liberationibus honorificare jubeamus, Psal. 50. v. 15. quanto magis in spiritualibus, ex quibus æternitas dependet, id facere debemus? In hac vero glorificatione cor, os, & opus concordare debent. Alioquin dicit Deus peccatori: quare enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum. Psal. 50. v. 16. Si vero nostro exemplo plures ad laudandum Deum & ad pietatis studium adducuntur, tum vere Deus glorificatur.

II. Sequitur secunda pars historiæ, qua princeps synagogæ Christi factum inique tulit, & populum, quod die sabbathi opem quæreretur, corripuit: Christus autem factum suum graviter turtus est. Illustre fuit Christi factum, & vel saltem eo nomine laude atque gratiarum actione dignum, quod miseræ mulierculæ diuturno malo fatigatæ succurrisset. Huic ergo congratulandum fuisset. Imo sibi ipsi Archisynagogus gratulari debuisset, quod in ea synagoga tale ac tantum miraculum peractum fuisset, cujus ipse princeps constitutus erat. Sed invidia, qua ipse non minus quam alii adversus gloriam Christi, quæ de die in diem crescebat, laborabat, eum permovit, ut ex obliquo hoc Christi factum taxaret. Sui vero invidiæ prætexit zelum vindicandi sabbati. Sicuti quamplurimi ad vindicandas suas injurias justitiæ zelum prætexere solent. Et quia cum Christo coram cœtu congregari non audeat: reprehensionem adversus plebem instituit. His ergo dicit: *Sex dies sunt in quibus oportet operari, in his ergo venite, ut sanemini, non in die sabbati.* O lepidum caput! Invitat turbam ad sanationem per sex dies: num ipse eam præstare poterit? Num hunc Jesum omnibus istis diebus sibi præsentem habebit? Si ipse eo die agrotasset, num medico dixisset: nolo hodie sanari? Si in sabbato in foveam ipse incidisset, atq; crus fregisset, num chirurgum a se abegisset, ne vulnus obligaretur? Adhuc inter servilia opera annumerat illa, quæ sunt vel maxime salutaria & veræ pietatis exercitia: Quæ nullo alio die magis fieri convenit, quam eo ipso, qui Deo & rebus divinis est consecratus. Vide hinc, quid faciat invidia. Hæc instigat hominum mentes & animos, ut etiam ea, quæ laude digna sunt, vituperent, licet id fiat cum ipsorum ignominia. Sic enim amor personæ omnia vitia contegit, Proverb. 10. v. 12. ita vicissim invidia omnes etiam virtutes atque bona opera proximi fugillat. Sic vero Archisynagogus hic prodit, se non tantum esse sterilem, sed etiam noxiam ficum, quæ umbra sua obstat, ne vites in vinea Domini fructum ferant, dum ad inanem ceremonias suos remittit, qui ad veram pietatem in gloriam Dei & proximi salutem exerceri debebant. Tales sunt etiam plerique Pontificii Doctores, & cum primis rasi Monachi, qui invidia adversus Evangelicos ringuntur, & coram rudi plebecula ex pulpitis declamant, nos Evangelicos sacras ferias à sancta matre Ecclesia Romana institutas violare; devotos ordines, eorumque regulas & vitæ instituta, cum ciborum discrimine contemnere, & sperant, quia ex suis partibus stantem habent Archisynagogum Romanum Pontificem, cum toto cœtu Cardinalium, Episcoporum & Prælatorum, magnifico ritulorum splendore, & specioso sanctitatis fuce insignitos, se perrumpere, adeoque Evangelicos Doctores omnes in odium omnium nationum adducere posse. Verum Christus, qui huic mulierculæ patrocinator est, & hunc Archisynagogum cum suis asseclis confudit, idem etiam Evangelium suum cum ejusdem confessoribus tuebitur: hostes autem ejus confundet, sicuti in majori orbis parte illud jam factum esse res ipsa ostendit.

Christus ergo, qui hactenus aliquoties (prout capp.

capp.

cap. 46. 47. & 48. hujus Harmoniæ audivimus) cum hostibus suis congressus est super quæstione, de violatione sabbati; idem etiam hic factum suum tuetur, & ostendit, eo religionem sabbati nequaquam violatam esse. Dicit autem *hypocrita*. Hoc vero dicendo non convitium dicit; siquidem talem hunc Archisynagogum describit, qualis vera erat. *Hypocrita* enim est, qui alium se simulat, quam revera est: aut, qui aliud intus animo cogitat, & aliud foris præterit. Sic hic synagogæ princeps intus in corde suo invidia adversus Jesum arsit, foris autem religionem & zelum sabbati præterdit. Re vera itaque *hypocrita* fuit. Discant exemplo Christi synceri verbi ministri hostes veritatis & patronos fucate religionis libere arguere. Et agnoscant purioris doctrinæ auditores, non statim convitium esse, si quis ejusmodi impostores durius excipiat, & quales re vera sunt, epithetis describat. Non est convitium, si quando Pontificem Romanum Antichristum nomino, aut filium perditionis. Nam & Paulus ad Thessalonicenses, & Johannes in sua Apocalypsi taliter eum descripsere. Non est convitium, quando Jesuitas, Papæ simias, filios Belial vel diaboli nuncupo. Cum enim doctrinas demoniorum disseminant, 1. Timoth. 4. vers. 1. re ipsa produnt se tales esse. Sic nec Jeremias convitatus est principem domus Domini, cum ei diceret: Jer. 20. vers. 3. Non Phasur (hoc est dilatantem & extendentem principatum suum) vobavit te Dominus, sed Magur, id est, pavorem undique. Nec Paulus, cum Actor. 23. vers. 3. Pontificem Judæorum vocaret parietem dealbatum; eo quod sub titulo & persona judicis, animum veritatis impatientem & sanguinis sitientem improbe celaret.

Cæterum Christus Jesus hanc Phariseorum & Scribarum hypocrisim & perversum hoc judicium de quiete sabbati, alias quidem aliis argumentis & rationibus refutavit: hic vero vanum illum & scientia carentem zelum retudit exemplo vulgari, petito à re præfenti, nimirum à *solutione vinculi*, quam, cum in quadrupede non judicent esse illicitam, ipsi pronunciant, quanta sit malitia eam invidere fœminæ, quam immanis humani generis hostis diuturno tempore miserime ligatam tenuisset? *Vnusquisq; vestrum, inquit, sabbato nomine solvit bovem suum, aut asinum suum à præsepe & ducit aquatum? Hanc autem filiam Abraham quam alligavit satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solvi à vinculo isto die sabbati?* Amplificatur argumentum triplici comparatione. 1. Confert inter se jumenta, *bovem & asinum*, & hanc fœminam, quam vocat *filiam Abrahami*. Verbis autem exprimi non potest, quantum homo, qui ad imaginem Dei conditus est, & pro quo unigenitus Dei filius, proprium suum sanguinem fudit: quem denique Spiritus sanctus per verbum Evangelii ad communionem filiorum Dei vocavit & sanctificavit, irrationalibus animalibus præferet. 2. Confert inter se capistrum, quo jumenta ad præsepe alligantur, & *vincula diaboli*. Jumenta, equi & boves *ad præsepe* alligantur, ut ibi pabulum suum habeant, & ne instabulo inter se pugnent, seque mutuo lædant. At Diabolus funiculis vanitatis & vinculis peccatorum,

Harm. Tom. I.

Jes. 5. v. 18. homines in eum finem constringit, ut non tantum à salvifico pabulo verbi divini eos retrahat: verum etiam laqueis suis eos ad suam voluntatem captivos detineat, ne resipiscant, donec ipsos in sempiternum exitum præcipitet. 2. Timot. 2. v. 26.

3. Tempus etiam inter se confert. Jumenta fortassis ad noctem unam, aut paucos dies præsepi alligantur. At vero hæc fœmina vel saltem ob temporis prolixitatem omnium commiserationum dignissima est. Ideo Christus admodum patheticè hæc verba pronunciat, quod satanas eam alligavit, *ecce, decem & octo annis*. Ideoque dignam quæ oporteat solvi à vinculo isto, tam gravi, tam misero, tam diuturno, & humanæ conditioni indigno.

Sic vero Christus tam in se ipso, quam in fœmina ista verum sabbati usum commonstravit. Omnino enim cavendum est, ne sabbata ullo modo prophanentur. Etenim inter causas excidii Hierosolymitani & exilii Babylonici, hæc fere præcipua numeratur, quod Judæi contra graves Prophetarum commonitiones sabbati religionem subinde violassent. Sed hæc est satanæ malitia, quod semper homines à recta via depellit & adigit, ut vel in defectu vel in excessu peccent, atque sic ad alterutrum oppositorum impingant. Idem apud Judæos effecit, quoad religionem sabbati. Ante exilium Babilonicum Judæi in legem Domini impegerunt defectu, prophanatione nimirum sabbati, quod multipliciter servilibus operibus, profectionibus, tractandis mercimoniis violarunt. Post exilium illud peccarunt in excessu, superstitione, quod Rabbini inutilibus quibusdam & tantum non ridiculis præceptiunculis sabbati observationem suis adeo stricte demandarunt, ut eo die ne quidem pulicem, nisi pungentem, capere & occidere ausi fuerint. Cavendum ergo est vere Christianis, ne in alterutram partem deviant, sed ut diligenter attendant, in quibus religiosa sabbati observatio consistat, quo eadem studiose exequantur. Illa vero breviter hæc sunt: ut ad exemplum hujus mulierculæ sacros cœtus visitemus: ibidem verbum Dei attente audiamus: precibus devotis una cum aliis vacemus, sacris intersimus: opera charitatis ad exemplum Christi exerceamus: Deo denique pro acceptis beneficiis publice gratias agamus. Hæc sunt opera, quibus sabbatum juxta Dei voluntatem sanctificatur & rite observatur. Vide hac de re etiam Ies. 58. vers. 13. de sabbato delicato.

Observatione etiam dignum videtur, quod Christus hanc mulierem *filiam Abraham* vocavit. Eo ipso enim non respexit carnalem propagationem sed fidei & virtutem imitationem. Etenim juxta carnis propagationem Abrahami filii & filia fuerunt omnes Judæi eorumque fœminæ. Sed ut Paulus monet Rom. 9. vers. 7. non omnes qui ex Israel sunt, sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abraham, omnes sunt filii: sed in Isaac vocabitur tibi semen, hoc est, qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine. Cum ergo hæc fœmina frequenter visitarit auditum verbi divini, & fuerit fidelis, merito nuncupatur *filia Abraham*: quandoquidem hic est pater omnium credentium.

Kkkkk

tium.

rium. Nos demus operam, ut & ipsi in audiendo verbo Dei simus frequentes, eique fidem habeamus, tum & ipsi filii Abrahæ dicemur. Et hic est verus Israel Dei: de quo Paulus alias dicit, quod super ipsum esse debeat pax & misericordia. Gal. 6. v. 16.

Tandem etiam exitus totius hujus actionis est attendendus: qui est duplex pro diverso sive duplici auditorum genere. 1. *Omnes adversarii erubescerant*: nimirum intelligebant, se publice & coram omni populo sic convictos esse, ut, quod responderent, non haberent. Licet autem confusi erubescerent; non tamen veritati cesserunt. Hoc enim est ingenium, hæc natura eorum, qui ex invidia veritati sese opponunt, quod pudorem mox abstergunt, & ne nimium quid privatae suae gloriae decesserit, de novis insidiis veritati fruendis cogitant. Et quidem in hac vita Christus hostes suos varie convicit & confudit, interdum scripturis, ut Matth. 21. v. 16. interdum miraculis, ut Matth. 9. vers. 6. interdum rationibus, ut Matth. 22. vers. 20. interdum testimoniis, ut Johan. 5. v. 33. Tandem autem in novissimo die confundet eos aeterno exitio, ubi erit ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum & Græci. Rom. 2. v. 9. 2. Alter effectus hujus actionis fuit: *Omnis populus gaudebat super universis, quæ cum gloria fiebant ab eo*: Non est dubium, quin plerique de hoc populo prius à partibus Archisynagogi steterint: ipsius nimirum & reliquorum autoritate fascinati. Nunc vero postquam divina veritas suos exerit radios, sicque istius hypocritæ fraudes magna ex parte sunt detectæ, populus deserto deceptore ipsi veritati se adjungit. Quod exemplum omnes boni imitari debent, ut quando intra animos suos de vanitate sunt convicti, Deo dent gloriam & latentur, quando intelligunt, Christum cum veritate hostibus suis superiorem esse. *Evdoza gloriosa* dicuntur opera Dei mirabilia. Sicuti Exod. 34. vers. 10. & Deuteron. 10. vers. 21. hoc vocabulum usurpatur. Ubi notandum, quod in Hebræo tale nomen legitur, quod eandem habet radicem cum מִלְאָה. *Mirabilis*, quod epitheton Jesa. 9. vers. 5. Messia attribuitur. Ut innuat ipse esse Deum illum, cujus nomen est sanctum & εὐδοζον, hoc est, laude celebrandum in secula. Tob. 8. vers. 7. Et re vera etiam humilitatis opera in Christo sunt εὐδοζα, sunt cum gloria. Quid humiliter & magis contemptum coram mundo, quam in crucem suffigi & in ligno mori? Veruntamen hoc ipso facto filius Dei diabolum & mortem devicit, & vitam nobis reduxit. Merito igitur cum Israelitis Exodi 15. v. 1. nos ipsos excitamus & dicimus: Cantemus Domino, quia εὐδοζας δεδοξαμεν, gloriose magnificatus est.

III. Postquam ergo Dominus huic Archisynagogo os obturavit, jam porro se ad populum qui super gloriosis ipsius factis gaudebat, convertit, eundemque adversus sycophantarum mortis animat, ne humilibus regni sui exordiis offendatur, neve atrocibus hostium minis & conatibus perterrefiat. Duabus enim parabolis, una ex re hortulana, nimirum à grano sinapis, altera ex re domestica, nimirum à fermento, sumpta, docet Evangelicæ doctrinæ eam esse naturam, ut præter omnem hominum expectationem succrescat, & invitis etiam hostibus omnibus quam latissime sese diffundat. Nam & alias hoc discrimen inter Dei & mundi opera deprehenditur. Quod mundus omnia sua opera splendide incipit, sed in fine deficit. Exemplo sit ædificatio turris Babel, Gen. 11. vers. 7. ad quam linguæ sunt confusæ: Nabuchodonosor qui plus quam Deus timeri voluit, Dan. 3. vers. 15. sed tandem gramen ut bos comedit. Daniel. 4. vers. 30. Dei autem opera humili principio oriuntur; sed splendendum & gloriosum fortiuntur finem. Sic Josephus à fratribus venditus, in exilium abductus, in eodem infamatus & incarceratus, tandem opulentissimi regni Ægypti Dominus factus est. Quis hoc futurum credidisset? sed apud Dominum non est impossibile omne verbum. Quam humile exordium habuit liberatio populi Israelitici ex Ægyptiaca servitute? Moses inermis mittitur adversus regem potentissimum. Et tamen finis est gloriosissimus. Ideo recte dixit Deus apud Iesaiam cap. 55. vers. 8. non sunt cogitationes meæ sicut cogitationes vestra: neque viæ vestrae, viæ mea: sed sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatae sunt viæ mea: à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Hæc omnia ad initium regni Christi, & ad exordium nascentis Ecclesiæ recte accommodari possunt. Verum quia de hisce duabus parabolis supra actum est cap. LXI. Harmoniæ, idcirco eodem pium lectorem remittimus. Nobis consideratio harum parollarum consolationem addat, quando hodie Antichristus Romanus cum Cardinalibus & squamis suis omnes suas vires & extremos conatus exerit, ut nascentis Evangelii cursum multis in locis impediatur, & intra angustum aliquem angulum coerceatur. Divina virtute perumpet Evangelii vis omnia ista impedimenta, & vel invitis inferorum portis in terrarum orbe libere prædicabitur. Quia Christus talis Dominus est, qui dominatur in medio inimicorum suorum.





## CAPUT CXIII.

## CONTINENS PROFECTIONEM JESU VERSUS JERUSALEM ET IN TRANSITU SANATIONEM COECI NATI.

LUC. 13. VERSIC. 22. ET JOHAN. 9. VERSIC. 1.

## RATIO ORDINIS.

**S**upra cap. 103. & 104. Harmonia audivimus, quomodo Dominus noster Jesus Christus Hierosolymis post festum Scenopogias se absconderit ob violentiam Judæorum, qui lapidibus ipsum obruere volebant. Postea autem, cum septuaginta discipuli emissi rediissent, inde discesserit, & in Judæa visitationem Ecclesiarum, ad quas aliquot suorum discipulorum pariter prius emisserat, instituerit. Hac visitatione intra bimestre spacium peracta, cum jam appropinquaret festum Encæniorum, reditum Hierosolymas parat. De qua profectioe solus Lucas hic v. 22. mentionem injicit. Neq; profectioem hanc, cuius Lucas hic meminit, ad aliud tempus adaptare possumus. Siquidem quæcunq; postea referentur, videbimus ea in Galilæa accidisse, quo Christus post exactum Encæniorum festum secessit, & residuam partem institutæ suæ visitationis absolvit.

Interim autem in ipsius absentia Pharisei primam suam constitutionem fecerunt & promulgant, Johan. 9. v. 22. de Excommunicatione, si

quis Jesum Christum profiteretur. Jesus ergo, ne videretur confessionem sui fugere, Hierosolymam rediit. Non tamē recta urbem ingressus est, sed ad portas ejusdem delatus, ipsam quasi circumvici (sic enim hic τὸ πρὸς τὰς πόλεις prateriens seu pratergrediens, sicuti etiam Matth. 20. v. 30. usurpatur, accipio) & in transitu, ipso quodam die sabbati, illustre miraculum edidit in homine, qui à nativitate cæcuserat. Quo miraculo ipse quidem populum ad inquisitionem sui excitavit: inter Phariseos vero schisma de Christo secutum est, quorum contumaces simplici & constanti cæci confessione pudefecit. Sic ostendens, non timenda esse vana fulmina falsæ Ecclesiæ ob Evangelii confessionem. Et pulchrum est exemplum, quod, cum cæcus ab Ecclesia malignantium excommunicatus esset propter confessionem Christi, Jesus hoc audiens ipsum quarit, & ad pleniorum Messia cognitionem adducit, ad quam nunquam progressus fuisset, si inter Phariseos mansisset. Hunc verum Evangelicæ historiæ ordinem esse non ambigo.

HISTORIA SANATI COECI NATI  
HIEROSOLYMIS.

LUC. 13. ET JOHAN. 9.

22. Καὶ διεπορεύετο κατὰ πόλεις καὶ κώμας διδάσκων, καὶ πορεύων ποιέμενος εἰς Ἱερουσαλήμ.
1. Καὶ πρὸς τὰς πόλεις, εἶδεν ἄνθρωπον τυφλὸν ἐκ γενετῆς.
2. Καὶ ῥωτήσαν αὐτὸν ἡ μαθηταὶ αὐτοῦ, λέγοντες, ῥαββί, τίς ἡμαρτεν, ἢ τί οἱ γονεῖς αὐτοῦ, ἵνα τυφλὸς γεννηθῆς;
3. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, ἔτε ἔτι ἡμαρτεν, ἔτε οἱ γονεῖς αὐτοῦ, ἀλλ' ἵνα φανερωθῇ τὰ ἔργα ἃ θεὸς ἐν αὐτῷ.
4. Ἐμε δὲ ἐργάζεσθαι τὰ ἔργα ἃ πέμψαντί με, ἕως ἡμέρας ἐστίν. ἐρχεται νύξ, ὅτε οὐδεὶς δύναται ἐργάζεσθαι.
5. Ὅταν ἐν τῷ κόσμῳ ᾶ, φῶς εἰμὶ ἃ κόσμος.
6. Ταῦτα εἰπὼν ἐπίσπευσε χαμᾶι, καὶ ἐπίσπευσε πηλὸν ἐκ ἃ πύσματος, καὶ ἐπέχρισε τὸν πηλὸν ὅππῃ τῆς ὀφθαλμῶν ἃ τυφλῶ.
7. Καὶ ἔειπεν αὐτῷ, ὕπαγε, νύψα εἰς πηλὸν κολυμβήθραν ἃ σιλωάμ, ὃ ἐρμηνεύεται ἀπεσταλμένῳ, ἀπὸ Ἰουδαίου καὶ ἐν ἵνατο, καὶ ἦλθε βλέπων.
8. Οἱ δὲ ἐν γείτονας καὶ οἱ ἱεραρῆντες αὐτὸν τὸ πρότερον, ὅτι τυφλὸς ἦν, ἔλεγον ἔχ' ἔτος ἐστίν ὃ καθήμενος καὶ πρὸς τὰς πόλεις.
9. Ἄλλοι ἔλεγον, ὅτι οὗτός ἐστιν. ἄλλοι δὲ ὅτι ὅμοιος αὐτῷ ἐστίν.
- Harm. Tom. I.

22. Et ibat per civitates & castella docens, & iter faciens Hierosolymam.
1. Et prateriens Jesus vidit hominem cæcum à nativitate.
2. Et interrogaverunt eum discipuli ejus, dicentes, Rabbi, quis peccavit, hic an parentes ejus, ut cæcus nasceretur?
3. Respondit Jesus, neq; hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.
4. Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari.
5. Quamdiu fuero in mundo, lux sum mundi.
6. Hoc cum dixisset, exsruit in terram, & facit lutum ex spato, & illevit lutum super oculos cæci.
7. Et dixit ei; vade, lava in piscina Siloam, quod si interpreteris, sonat missus. Abiit ergo & lavit, & venit videns.
8. Itaque vicini & qui viderant eum prius, quod cæcus esset, dicebant: Nonne hic est, qui sedebat & mendicabat?
9. Alii dicebant, hic est: Alii rursus, similis est ei.
- Kkkkk 2 10. Ἐκεῖνῳ